

respondens non possem quin aliqualem Vestram pertimerem indignationem, nisi de solidiori fauore et indulgentia Vestra certissime essem persuasus.

Quod nec meam epistolam nec Catalogum desideratorum his subiunctum acceperis credere fas puto, quum illud in litteris suauius neges. Interim hoc doleo, certissime persuasus, quod, si illas accepisses, tanto maior pulcriorum plantarum numerus in horto nostro per aestatem florisset. Iam promisso TVO eiusque explemento fretus mitto enumerationem plantarum, quas ex horto Vestro habere optarem, et simul Catalogum earum, quae aestate praeterlapsa in horto nostro partim florere partim viguere. Si quae vobis sint, quae non in hoc Catalogo continentur nec inter Desideratas enumeratae sunt, et hac nobis erunt pergratae . . . ¹⁾

Vale et faue. Dabam die XII. Septembris. CIOICCLXVI.

Clarissimo Professore a Linné, Iuniori.

(99) Hafn. d. XII. Sept. 1766. — Inter nouissima, quae nec TIBI ingrata erunt, haec habeo, quod clementissima nostra Regina, quam nuper ab Anglis accepimus, scientiam Botanicam summe amet eiusque protectricem et promotricem se praebitura sit.

(100) Generosissimo Dno Equiti et
Archiatro Regio C. a Linné
Fautori suo summe venerando
S. pl. d.

J. Zoëga.

Causam retardati responsi ad vltimas TVAS humanissimas in litteris ad filium Clarissimum his inclusis scripsi. Ad hanc accessit, quod ante octiduum, quum his conscribendis

¹⁾ Om Cataloget og en Planteliste.